



fit, cognoscit extensa; igitur necesse non est, ut ens, quod extensa cognoscit, ipsum quoque extensum sit. Anima dum cognoscit partes individuas extra se positas, iudicio sensum conjunctas, cognoscit extensum! an ad hoc requiritur extensio? an forte anima straminea esse debet, quia stramen cognoscit?

Vanum  
effugium  
materia-  
lium phi-  
losopho-  
rum.

31. Intellego quo se tueri velint protensae mentis philosophi: unum restat in re desperata auxilium, negatio. Negant requiri extensionem animae, rebus, quas comprehendit aequam, eo quod ingentia aedificia exiguo possint spatio describi, tametsi in punctum individuum compingi nequeant: sic pariter anima aliquam, non aequam rebus extensionem habere debet. Digna profecto materialibus philosophis responsio! ingentia aedificia exiguo possunt spatio describi? sic loquuntur philosophi? sic cogitant protensae animae? pessime! ego putem, & quis sanae mentis aliter judicare possit? non aedificia, sed proportionem partium inter se ad mensuram compendiarum arbitrarie ab artifice assumptam depingi, ad quam proportionem in charta descriptam aequa utique extensione opus non est: contra animae objectum externum cum tota sua extensione sistitur, tota ab anima cognoscitur. Inde maximum illud discrimen, cujus conscius mihi sum, quando primum in de-